

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

CXLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

facit & homo turbatâ ratione ea patrat, quorum ignarus est, priusquam ratione rursus utatur; vel reflexa, cum agens solitariè supra seipsum reflectitur, veluti cum anima rationis particeps seipsam intelligit & invidiâ flagrans invidum se esse novit.

CXLIV. Sunt equidem ex Scholasticis Philosophis non exigui nominis, utpote Joh. Duns Scotus, D. Thomas Aquinas, Thomas Cajetanus, Capreolus, Paulus Soncinas, Durandus, Henricus, Ægidius de Mensurâ, & Nominales, quos recenset & sequitur Petrus Fonseca, Lusitanus, Soc. Jesu, libr. VII. in Met. Arist. c. VII. Qu. III. sect. III. p. 300. qui intelligendi actus, & actus momentaneos, seu creationem, illuminationem & similia, docent, non esse actiones propriè dictas, sed qualitates; quia, etsi intellectio, (ut de eâ, cum in damnatos cadat, speciatim dicamus) quâdiu exercetur, semper sit in fieri, habeatque subjectum inhæsionis, in quo exerceatur, non tamen sit productio alicujus termini, qui per eam intrinsecus compleatur & paulatim perficiatur, sed ipsa sit ultima perfectio intellectus, tametsi aliquando sit principium productivum alicujus alterius qualitatis, ut alicujus habitus in intellectu, aut alicujus affectus, habitusve in voluntate. Andr. Masius, in libr. Categ. c. V. q. II. pro qualitatis secundâ specie, quæ potentia naturalis dicitur, pugnat: *mibi semper*, inquit, *placuit eorum opinio, qui statuunt actiones immanentes revocandas esse ad secundam speciem qualitatis.* Sed verò cum immanentes actiones reverâ sint progressionem potentiarum in actus earundem secundos, quibus mediântibus agens formaliter agere dicitur, fieri nequit, quin sint actiones propriè dictæ; cum, cui definitio competit, eidem & definitum competere sit necessarium. Quam enim absurdum est, verbi gratiâ, intellectum, dum intelligit, intelligentem, hoc est, non amplius potentiâ, sed actu, agentem esse, idque, quod intelligit actu, quodque antea non intellexerat nisi virtute, in se producere, quod utrumque; utraq; manu concedit Fonseca, & tamen intelligendi potentiam, sine ullo motu, sine actione, sine intellectione, in actum deduci, aut, si cum motu aut intellectione id fiat, hunc motum & intellectionem actionem propriè dictam non esse, sed potius qualitatem & dispositionem? Quam *ἄτοπον*, igitur est, ædificare sine ædificatione, & scribere sine scriptione, &, ut summarim



sim dicam, agere in specie sine actione in specie: tam inconveniens est, agere in genere sine actione, *γινώσκω*, dicta. In alio igitur prædicamento est potentia intelligens, seu intellectus, nempe substantiæ, in alio terminus actionis, quippe qui per actionem producitur, nempe qualitatis, in alio actio ipsa, nempe actionis, neque ulla necessitas est, hæc omnia singulaque, (quo Masius, tanquam præcipuo, nititur argumento) in uno eodemque esse prædicamento. Præterea, quamquam actio potentiam ad res agendas disponat, non tamen idèd statim dispositio est, voce eo in sensu, quo in secundâ qualitatis specie jacet, acceptâ. Potest enim aliquid disponere vel formaliter, tanquam forma in subjecto recepta, quemadmodum aliquale odium in voluntate damnatos ad invidiam & iracundiam disponit; & hæc dispositio qualitas est: vel efficienter, sicut præceptor, dum literarum docet scientiam, intellectum discantis disponit; & hæc talis dispositio, qualis est & ea, quæ in actionibus immanentibus reperitur, non est qualitas, sed actio. Id quod adèd verum est, ut Fonseca ipse Scoti sententiam, non de quovis genere actionum propriè dictarum, sed partim de iis duntaxat, quæ cum passione conjunctæ sunt, partim de præcipuis, nempe *de iis, quæ habent aliquam distinctionem entitativam ab eo, quod per eas producitur*, seu à termino actionis, intelligendam esse tradat. Quamquam jam supra innuimus, ineptum non esse, si quis actionem immanentem, utpote intellectionem, à termino ejus, nempe intellectu in actu constituto, entitativè differre, sicut Fonseca loquitur, profiteatur.

CXLV. Hæc cum plana sint, difficilior nunc nobis, sed necessaria tamen expedienda distinctio est actionum, in physicas & morales. Quæ ut rectius intelligatur, sciendum est, eandem duplici sensu posse intelligi, primo, ut actiones physicae atque reales vel præcisè, ut physicae considerentur, vel ut moralitatem adjunctam habent, quo sensu una eademque actio pro diverso conceptu modo physica, modo moralis esse potest: secundo, ut omne id, quod actionum, quomodolibet dictarum, nomine venit, in duas species, physicarum nempe & moralium dispescatur. Atque, ut de priorè sensu primum dicamus, actionem physicam constat omnem eam esse, quæ & in quantum realiter influit in esse rei alterius, nu-